



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 2. Quænam specialiter Clericis præcipiuntur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

omnia innovat, & confirmat, nam ibi: *Statuit, ut quæ aliàs à summis Pontificibus, & à factis Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinâque retinenda, ac simul de luxu, comestationibus, Choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiosè, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. Lege tot.*

*Not.* Eadem omnia prohibita sunt Religiosis non solum Clericis, sed etiam Laicis: quia nomine Clericorum comprehenduntur Religiosi, quando prohibitio spectat decentiam statûs, ut notat Suarez.

*Q. 2. Quænam specialiter Clericis præcipiuntur?*

*Resp.* Tenentur 1. Clerici præsertim sacro ordine initiati, vel Beneficiati *habere Coronam, & Tonsuram congruentem, cap. 15. de vita & honest. ex Conc. Gener. Later. 4. & c. 4. eod. tit. Siquis ex Clericis comam relaxaverit, Anathema sit.* Item gestare habitum Clericalem, & suo Ordini convenientem, can. 22, dist. 23. & Clement. 2. *de vita & hon.* & ex Conc. Trident. sess. 14. c. 6. & ex Constit. 92. Sixti V. ubi sub gravi pœna præcipit, ut omnes illi Clerici jugiter deferant *Tonsuram, & habitum Clericalem, vestes scilicet talares.* Et verò eos, qui à mundo separati, se divino ministerio dedicarunt, Laicalem vitam exteriore habitu profiteri, dedecet. Hinc peccat mortaliter,

11115V

A 5

qui

qui notabili tempore non gestat Tonsuram, vel habitum Clericalem, saltem quo discernatur à Laicis, cum id præcipiatur sub gravibus pœnis, & res sit gravis pertinens ad decentiam statûs, & bonum, ac decus Ecclesiæ. *Ita Navar. Sanchez, & alii.* nec excusat consuetudo, cum sit irrationabilis, & corruptela. Unde S. Carol. in Synod. 2. Eccles. Mediol. inter alios casus hunc sibi reservat: *Qui quævis Beneficia obtinentes habitum Clericalem non induunt.* Permittit tamen Clericis iter facientibus, ut vestitu contractiore utantur, *decentem tamen illum, inquit, atque hujusmodi esse oportet, ex quo eos esse Ecclesiastici Ordinis homines agnoscere facile possit. Cum vero eò venerint, quò pervenire contendunt, talarem togam induant.*

Porro Religiosis prohibetur sub excommunicatione ipso facto contracta, & Papæ reservata, ne habitum sui Ordinis temere, hoc est, sine justa causa, dimittant, cap. 2. *ne Clerici, vel Monach. in 6.*

2. Tenentur Clerici sacro Ordine insigniti servare castitatem perpetuam, ex voto solemnini, quod Ecclesia ob reverentiam sacri ministerii annexuit Ordini sacro, ita ut illi per voluntariam Ordinis susceptionem facto ipso, & tacitè profiteantur, ac voveant castitatem. Constat ex variis juribus, ex Conc. Gener. Later. 2. cap. 7. ex Trident. & sensu, ac praxi Ecclesiæ. Item tenentur quotidie recitare Breviarium ex variis juribus, & præsertim ex universali

versali

versali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente; ut constat ex consensu Doctorum, qui se habent in hac re ut multitudo testium omni exceptione majorum.

3. Clerici ratione sui statûs, & juramenti obedientiam specialiter debent Episcopo in iis, quæ spectant ad honestatem vitæ, & reformationem morum, ad correctionem & pœnas pro peccatis impositas, ad divinum cultum, Officium, & Sacramenta, ad jura Episcopalia, & ad jurisdictionem Ecclesiasticam, c. *quia frater*. 7. q. 1. & c. 16. *de Offic. judic. ordin.*

4. Tenentur servare honestatem & modestiam in omni compositione & gestu corporis, temperantiam & moderationem in cibo & potu, ex dist. 41. & dist. 44.

5. Ratione sui statûs debent morum sanctitate, & virtutibus omnibus Laicis prælucere, *quorum forma & exemplum esse debent*, ait Conc. Gener. Later. 2. c. 4.

*Q. 3. Quanam sunt obligationes speciales Beneficiatorum?*

*Resp.* Beneficiati, etsi carentes Ordine sacro, tenentur ex justitia Horas Canonicas recitare quotidie, ita ut si eas culpabiliter omiserint, peccent mortaliter, nec faciant fructus suos, & ad eorum restitutionem teneantur, saltem post sex menses pacificæ possessionis. *Ita omnes Prob. 1. Ex Conc. Later. 5. sess. 9. ibi: Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium*